JEAN SECOND EPISTOLARUM LIBRI (1049 vers)

Le texte proposé ici a, pour source, deux éditions : celle établie par Petro Scrivero et imprimée, à Leyde, en 1619, chez Jacob Marcus et celle, plus tardive, parue, dans la même ville, chez Samuel et Johannes Luchtmans.

# JOANNIS NICOLAII SECUNDI EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

## EPISTOLA I. AD EVERARDUM NICOLAIUM, FRATREM.

E1_01 Ite salutatum sine me, mea carmina, fratrem,
Cur mihi nunc versus non datur esse meos ?
Ite leves elegi, nec vos ivisse pigebit.
Ite citi. Doctam jam dabit ille manum.
Moxque resignatos placida vos audiet aure,
narrantes animi nuntia certa mei.
Haec igitur nostro referetis nomine fratri.
O ego quam vobis demptum onus hoc cupiam ?
Me retinet salsis infausta Valachria terris,
Oceanus tumidis quam vagus ambit aquis.
Nulla ubi vox avium, pelagi strepit undique murmur,
caelum etiam larga desuper urget aqua.
Flat Boreas, dubiusque Notus, flat frigidus Eurus ;
felices Zephyri nil ubi juris habent.
Proque tuis ubi carminibus, philomela canora,
turpis in obscena rana coaxat aqua.
Si quaeret quid agam (namque hoc quaeret scio) : quod non
sum simul hoc doleo, cetera laetus ago.
Quodque magis placeat, pater illi salvus, et omnis
turba valet, morbos nec timet illa graves,
mitior et nobis haec terra futura videtur,

nempe semel nostris exsaturata malis.
Quod reliquum, Icarias dices meditarier alas,
quis possim liquidas rite secare vias,
et subito optatas novus ales cernere sedes,
oraque germani cernere cara mei.
Talia nunc meditor, modo quis mihi Daedalus adsit,
qui pennas humeris applicet arte meis.
Non ego ventosis peterem sublimia plumis,
vectus ad igniferi fervida regna Dei ;
nec Zelandiaco facerem nova nomina ponto,
sed sequerer monitus, Daedale magne, tuos,
quod si non dabitur, naturaque dura repugnans
non patitur vetitas nos penetrare vias ?
Attamen haud longo post illum tempore cernam,
advectus celeri per freta vasta rate.

## EPISTOLA II. AD EUMDEM.

E1_02

Musa ades huc, Frisias procul hinc, procul ibis ad urbes,
per silvas, urbes, per mare, per fluvios,
nec te longinquas pigeat volitare per oras,
est ubi barbarico proxima terra solo ;
terra procul gelido septem subjecta trioni,
terra procellosis frigida quassa vadis ;
nec refugi mores faciant aut grandia verba,
quo minus incepta progrediare via ;
certa sacros vates terris habitare profanis,
numina Musarum qui veneranda colant,
certa tuas illuc quoque commigrasse Sorores,
deserta vitrea pridem Heliconis aqua,
ex quo Germanos vates celeberrimus inter
Rudolphus Frisii lausque decusque soli,
dulcia contentis modulatus carmina nervis,
traxit Apollineas in sua vota deas.
Cui modo successit terra nutritus eadem
Hermanus, studii factus ad omne genus,
Hompius, Ausoniis rediens qui nuper ab oris,
doctas Romanae retulit urbis opes.
Non minor hic vestrae fuerit mox gloria turbae,
gloria erit patrio nec minor ille solo.
Quid petis ulterius ? Cujus modo limina vises,
Aonias adamat frater et ipse deas,
et poterat viridi sacra cingere tempora lauro,
natus ad Orpheae garrula fila lyrae ;
maluit at tetricae studiis vigilare Minervae,
et colere Astraeae numina caelipetae,
et jactare foro strepitantia verba diserto :
nunc etiam populo reddere jura truci.
Nec tamen ergo minus Musas veneratur, amatque :
hae requies fessi pectoris una manent ;
his sese oblectat cum magna negotia liquit,
atque a dicundo jure subinde vacat.
Ergo age, carpe viam, donec Leovardia cernes
cominus informi moenia structa modo.
Hic cursus, hic meta tui est, hanc incolit urbem

pars animi major, pars meliorque mei,
germanus, nullis animo delebilis annis,
sive ego quod nunc sum, sive ego pulvis ero.
Hujus ad optatas postquam perveneris aedes,
ostendes Jani nomina nota sui.
Quae simul ac cernet, dilecti symbola fratris,
ibit in amplexus protinus ille tuos.
Mox, quid agam, quid mater agat, genitorque rogabit,
quid fratres, quid agat denique tota domus.
Vivere quos salvos dices, eademque precari
aeternum domui vel meliora suae.
Mox ubi cognoris, valeat quid et Ipse, quid uxor,
quid dulces nati turba minuta, gerant,
ante precata viro, qui nunc novus annus inivit
illi ut felici sidere totus eat,
longinquum revocabis iter, quaque iveris, illac
ad nos seu terra, seu remeabis aqua.

## EPISTOLA III. AD EUMDEM.

E1_03

Salveto quantumque cupis, quantumque mereris,
et domui veniant omnia laeta tuae.
Accepisse reor (nam jam tibi misimus olim)
sculpta per insuetas plumbea dona manus,
quae referunt patrios parva sub imagine vuhus,
cernere quos vobis dulce, putamus, erit.
Scilicet est aliquid vel sic dilecta tueri,
invida quae nobis sors rapit ora procul :
sic ego te cupiam, sic conjugis ora videre
quantula de vobis pars tamen illa foret !
Sed meliora feret volvendum tempus et hora,
qua dabitur toto mox mihi fratre frui :
quae notas audire dabit, quae reddere voces.
Interea celeres currite Solis equi.
Tunc mihi narrabis (dulce est meminisse laborum)
tristia paene oculis Tartara visa tuis,
rimosamque ratem, Nautam, Manesque vetustos,
Tantalon et vivax cui jecur ales edit,
et qui volvit adhuc semper revolubile pondus,
et quibus aeternis colla premuntur aquis ;
tunc, cum sudoris ignoti triste venenum
urgeret vapido bis tua membra toro,
furvaque coepisset, Stygio sacra dona marito,
fatalem crinem vellere Persephone,
multaque praeterea, quae differo tempus in illud,
advehat alatis quod cito Phoebus equis.

## EPISTOLA IV. AD EUMDEM.

E1_04

Ecce manum chartae calamumque admovimus udum,
fratri, aliquid vis nos scribere, Musa ? Jube.
Musa jube. Cessas ? Titubas ? Haeresque ? Quid istud ?
Usque adeo nihil est quod legat ille tibi ?
Nos igitur chartis calamum removemus ? Et iste

6 ibit in hoc scriptis non oneratus iter ?
7 Non ita, sed potius chartam sic tradat inanem
8 nuntius ; hoc fratri non leve munus erit.
9 Triste nihil domui sciet accessisse paternae,
10 meque satis memorem sentiet esse sui.
11 Artis huic aliquid nostrae si jungimus, et quod
12 carmen in Augustum condidimus tumulum ;
13 nil petet ulterius, licet anno ineunte recenti
14 larga dari soleant munera, larga capi.

## EPISTOLA V. AD ISSAABELLAM SOROREM, VIRGINEM SACRAM.

E1_05 v.1 Salve, o feminei, soror, unica gloria sexus,
2 inferior nullis Issaabella viris,
3 gaudia quanta mihi, quantum injecere stuporem,
4 depicta articulis verba Latina tuis !
5 Quam pia, quam lepida, et quam mellea, quamque venusta !
6 Quam docta et cunctis illa polita modis !
7 O quoties lecta illa mihi, quotiesque relecta,
8 nec satiare oculos nec potuere animum.
9 Macte animo, similem nullam cui nostra tulerunt,
10 forte dabant olim saecula prisca pares.
11 Credo, aequare suum poterat quae carmine patrem,
12 inclyta Nasonis filia talis erat.
13 Tullia talis erat, docto dilecta parenti ;
14 talis erat Gracchos quae tulit illa duos.
15 Sperare hac qualem licuisset ab arbore fructum,
16 ni tam non apta consita staret humo !

## EPISTOLA VI. AD CAROLUM SUCQUETUM.

E1_06 v.1 Carole, quo nullos duce et auspice ferre labores,
2 nec renuam durae mortis inire vias,
3 Alpinas quocum libeat contemnere valles,
4 quas nivis aeternae cana tegunt maria.
5 Cum quo vicino peragrem loca torrida sole,
6 quaeque rigent longo non habitata gelu,
7 qua deserta manent nullis freta nota carinis,
8 terraque non ullo vomere secta jacet.
9 Provida ni timidi remorentur verba parentis,
10 spernere quae pietas officiosa, vetat,
11 falciferique senis grave rebus in omnibus astrum,
12 et deus, et series omnis iniqua poli.
13 Tune igitur Latio felix versaberis orbe,
14 inter honoratos artificesque viros ?
15 Nos in barbaria virides socorditer annos
16 perdere cogemur ? Non ita fata velint !
17 Quae satiata, reor, quod te fraudamur eunte,
18 deponent odium, nec mora longa manet.
19 Ante dies. Multos vestigia cara sequemur,
20 tempora fortunae cum melioris erunt.
21 Interea vivas, qua vivere sorte mereris,
22 o animo semper sedem habiture meo,
23 agmina seu jubar hoc inter viventia cernam,

regna Deae Siculae seu tenebrosa colam.

## EPISTOLA VII. AD JOANNEM DANTISCUM, PRAESULEM CULMENSEM, EUMDEMQUE POETAM,

E1_07

Laus vatum, laus magna virum quos infula vestit,
ore melos Getico qui Latiale sonas,
in quem curarum bona pars secura recumbit
Regis, Sarmatidum cui famulatur humus.
Hospite quo Scaldis sese miratur, et Istri
gurgitibus tumidis jam putat ire parem.
Hocne meas artes etiam, Dantisce, manebat,
ut traducendae te quoque teste forent ?
Hei mihi, quid speras a caelatore poeta,
et cui vix primo tempora Tere, tepent ?
Istam aciem pascat, si quid restabit ab aevo,
Phidiacae quondam quo viguere manus.
Cum Venus ipsa, suae decus admirata figurae,
dixit : "Praxiteli visa ubi nuda fui ? "
Cum poterant duri lapides mollescere ferro,
uvaque certantes picta vocabat aves,
suspensosque animos sperata voce tenebat
Daedalus in tabula versicolore liquor.
Ausus ego tentare novas temerarius artes,
vix infausta rego caela negante manu.
Felix plebeios si tantum pingere vultus
dextera et ulterius non foret ausa vehi :
obscuris cum nominibus neglecta jaceret,
non hominum variis subdita judiciis,
cum domini pallore sui male nobilis esset.
Sed quid ego haec autem ? Sera querela mea est.
E manibus nostris dudum vaga currit imago,
quae pia Caesarei numinis ora tenet.
Nec satis est illud, cupit hanc Dantiscus habere,
ille cui quidquam sit renuisse nefas.
Accipe, magne pater : tua jussa capessere fas est.
Tecum age, si laedet lumina forma rudis.
Mittimus in multas transfusum Caesara formas,
sic te velle mihi dixerat ille tuus
Ledaeus vates, juvenis dignissimus, in quem
pars tibi diffusi multa favoris eat ;
qui sic ore modos et acuta temperat aure,
ut cygnum melius non potuisse rear
illum, Ledaeis olim qui fusus in ulnis,
velavit niveo corpore furta Jovis.
Mittimus et quaedam, quae te fortasse juvabunt ;
inter quae dominae sit quoque forma meae,
dilectae dominae, Venerem cui cedere Mavors
noluit : hinc caeli non bene rexit iter.
Hic quoque flammivomis oculis formosa latebit
vatis amatoris Julia sculpta manu,
Julia, quae nostris vivat celebrata Camenis,
donec Amor gemitus nesciet et lacrimas.

## EPISTOLA VIII. AD ANSOVINUM MEDICEM, PERUSINUM, JURECONSULTUM.

E1_08 Unde leves veniant tua sub sacraria Musae,
ara ubi librantis stat veneranda deae,
Quisve verecundas, quaeris, petulantius ire
jusserit ? Herboso a rure tulere pedem.
Mittit Joannes, quem si te nosse negabis,
ignotum scit te non tamen esse sibi
tempore jam ex illo, cum te mirata docentem,
haesit in adspectu contio magna tuo ;
adque tuas voces vocem tenuere tot ora,
nulla nisi laudes quod tacuere tuas.
Sed tibi certatim tacito applausere susurro,
pars ubi tum turbae parva stupentis eram ;
et tua (dicebam) veniant ad pulpita longe
Gallica quos, et quos terra Latina docet.
Legibus, Ansovine, potens et divite lingua
unus in Alciati sede decenter ades.
Tu desiderium tanti lenire magistri
visque potesque simul ; sed quoque fata velint.
Fata recusarunt votis accedere nostris,
atra lues serpit per fora, perque vias.
Itur in exilium, stant auditoria clausa,
mutaque non possunt vel sua damna queri.
Haec inter nobis spes fulserat optima nuper
tecum communi vivere posse casa.
O niveam quae tot vexisset commoda lucem
felicem qui te seu tenuisset ager,
sive niger lucus, jam tum sacer ille futurus,
fons tibi seu vitreis ora rigasset aquis ;
murmure te tremulo rivi, te flatibus aura,
teque per innumeras silva vocabat aves ;
aequabat propere distinctos uva colores,
visa vocare tuas ad sua dona manus.
Ast alio te fata vocant, patriaeque suavis
ardor, et Ausonidum te remoratur humus,
quae tibi victrices nutrit laetissima lauros,
implicitura tuae debita serta comae,
nos quoque quo fortuna vocet dubitamus, et hosce
forte brevi dulces destituemus agros.
Atque utinam cessent dirae contagia pestis,
linquat et Alciati febris iniqua caput ;
atque iterum resonet solitis Academia linguis,
non isto potior terra sit ulla solo.

## EPISTOLA IX. AD VIGLIUM ZUICHEMUM, FRISIUM, JURECONSULTUM.

E1_09 Bitturigum muris infectis tabe rapaci,
qua dulces animas tot posuere viri,
totque genas, rosea et pallentes ora puellae
lurida transnarunt stagna nigrantis aquae,
exsul ab urbe diu Menetovica rura tenebam,
exsilii socius, quam bene ! Frater erat.
Cum quo communi partibar fata dolore,
plus solito tristi pectore multa movens.

Qualia perpetimur patriae qui dulcibus arvis
hospita praetulimus tecta viasque sequi.
Tristia multa meo sub pectore condensabam,
inque meas clades ingeniosus eram.
Languida confecti patris occurrebat imago,
qui tunc, cum miserum liquimus, aeger erat.
Matris inexpletae mentem subiere querelae,
seu moriente viro, sive trahente necem.
Omnia funesti praebebant omina casus :
mens est vicini saga subinde mali.
Fluctibus aequoreis agitatis flamine nullo,
navita versandas turbine novit aquas.
Nos quoque perculsi maestam sine vulnere mentem,
"Heu ! veniunt nostrae flabra maligna rati",
diximus, et longas querula in suspiria noctes
traximus, et nigros per loca sola dies.
Has inter curas tua, mellitissime Vigli,
candida felici litera venit ave,
adspexi, et subito sensi per membra calorem,
et rubor in toto plurimus ore ; fuit.
Nec dum certus eram, cujus foret illa sodalis,
pectoris hanc cari sed fore certus eram.
Prodidit at dea te, quae te jam prodidit orbi,
virgineam rutila casside pressa comam,
felix quae signat, quos dictat et ipsa libellos,
et micat in digito gemmea forma tuo.
Hanc ubi conspexi, "Certe hic est Viglius", inquam,
et tanti veteris cura sodalis erat,
ut sibi de caris tantum decerperet horis,
hujus longinquis quod daret alloquiis ?
Protinus abrumpens chartae retinacula, vidi
nomen, honoratum quod mihi semper erit.
Pectore dein avido dulcissima verba voravi,
quae mihi laetitiae causa perennis erunt,
quorum tunc nobis sensum patiemur abesse,
corpore ab hoc animam cur patiemur agi.
Illa semel magnos mihi discussere dolores,
illa legam, quoties non bene laetus ero.
Namque velut densa quibus est iter arbore clausum,
ducit ubi incertos semita falsa pedes,
inque vias varias vestigia circumflectit,
semper et exponit deteriore loco,
visa per angustam rimam, seu visa videri
plana graves animos arva repente levant :
talis in his tenebris tua venit epistola nostris,
nigraque suffudit lumina luce nova,
candidior noctes primum tres sole secuto,
Alcmenae e thalamis astra petente deo.
His ego deliciis seu pondera divitis auri,
purpurei spolium seu maris anteferam ?
Quasque tulit flavas toties Campania messes,
quaeque tulit toties vina Falernus ager ?
Non ego sum talis, nec sic alienor ab illis,
tinnula quae liquido vertice plectra movent.
Nec, mihi quae tribuunt, quae non agnoscere possum,
illa mihi pretii verba minoris erunt

dicta mihi credam, fuero cum dignior illis,
interea affectus sint mihi signa tui.
Ne tamen ignores quem te dignaris amico,
deceptum ne te forte queraris, habe.
Non est qui Fabios, Gracchos Sullasve loquatur,
sitque peregrina civis in Armenia,
et quotus a primo Croesus spoliaverit orbem
noverit, et quanto sole calescat Arabs,
aut qui multa fori variantis jura notavit,
aut qui Pegasea labra ligarit aqua,
non tecum ingenio, tecum contendet amore,
legibus his dextram dat tibi, datque fidem,
quam non ulla sua rumpent vertigine saecla,
nullaque divellent inter utrumque loca.
Annuis, et talem non adspernaris amicum,
annuit intonsa Phoebus et ipse coma,
et dixit "Rata sint haec foedera, dum mihi duris
barba genis, nullus fronte capillus erit."
O, igitur, nullos animo delende per annos,
an tecum fandi tam cito finis erit ?
Nec tibi fortunae patefient omnia nostrae,
sive levet, pressa seu gravet illa manu ?
Scribere consuemus quo delectentur amici,
primus eris gemitu qui feriare meo,
dignus nullorum qui spectes ora dolentum,
cunctaque cum risu tempora lucis agas.
Non tua damna leges, sed maxima damna tuorum,
quae tibi sunt propriis non leviora malis.
Deseruit nostras spes, et migravit in altum,
hei mihi, tarda negat dicere lingua, pater.
Nec nobis licuit quae munera debebamus
reddere, suprema, non iteranda, die.
Jam jam claudendis mandata excerpere labris,
et cilia exstinctis obdere luminibus,
et deploratum tumulo componere corpus
molliter, et violis spargere triste solum,
longaevasque notas memori mandare sepulcro,
quas videat properans et remoretur iter
hospes, et humentes aegre compescat ocellos,
et dicat : "Cinis hic nobile pectus erat.
Hoc fuit, hoc igitur, quod tot monuere dolores
visaque germano somnia, visa mihi.
In quibus, hac ipsa nobis oblatus in urbe,
visus erat senium jam posuisse suum,
et florere novo nimium juveniliter aevo."
Floret ; at, heu, nostris aruit ille bonis.
Floreat, et virides annos in valle resumat,
myrtea qua longo vere tepescit humus.
Nos humiles animae externo repemus in orbe,
damnati lacrimis, cladibus, exsilio ;
felices solis, si quos numeramus, amicis,
qui stabiles vere sint, similesque tui.
Haec ego non potui, quamvis lacrimosa tacere :
forsitan huc tristes me rapuere modi,
nataque flebilibus tantum miseranda querelis,
passibus imparibus quae Dea frangit iter.

Scilicet hoc vultu cum nos Elegeia vidit,
credidit ad luctus se tumulosque rapi.
Nec mora, compositos dissolvit maesta capillos,
nec mora, cupressum movit utraque manu
funereasque faces circum mea pulpita vidi.
Quid facerem ? Potui nil, nisi quale vides.

## EPISTOLA X. AD JOACHIMUM POLITEN, MEDICUM ET POETAM.

E1_10
Numquid ubi manibus sese tua litera nostris
obtulit, et cupidis auribus hausta fuit,
tunc subiisse meum plenissima gaudia pectus
credis, et immemorem paene fuisse mei ?
Qualem animum vidi ? Vel qualia carmina legi ?
Carmina Apollineis emodulata sonis.
A quibus et titulos et nomina deme locorum,
Naso sua dicet haec perarata manu.
Haec quoque blanda videns operosi Musa Properti,
injiciet dominas in tua scripta manus.
Sed quid ego venerer divini carminis artem ?
Majus ibi quiddam, quo caperemur, erat.
Illic exemplar sinceri lucet amoris,
qualis Saturni, tempore rarus erat,
qualis erat juvenis Phocaei, qualis Orestis,
hic cum pro socio vellet, et ille, mori.
Hunc ego non redamem ? Non hunc complectar amicum ?
Altera pars animae non erit iste meae ?
Invida sed rebusque hominum contraria fata !
Cur non unanimes urbs tenet una duos ?
Non ullum nobis simulacrum majus haberet
illaesae fidei vivida posteritas.
Non tibi me frustra tua somnia saepe reducunt,
et tibi rara mei non memor hora venit.
Ignibus aethereis haec est vis insita quondam,
absentes tacito sidere multa movent.
Anne putas vacuum sine te mihi tempus abire ?
Semper in obtutu stas, Joachime, meo.
Stant tecum dulces, quorum es pars magna, sodales,
mens quibus a nobis non aliena fuit.
Si toties aliquid de me tibi somnia narrant,
nostra tui quoties pectora tangit amor,
Morpheus haud alio vultu te visat oportet,
quam nostro, aut similis si qua figura meae est.
Si tibi transfundunt affectus numina nostros,
saepe fatigamus sidera, saepe Deos ;
teque fatigamus, cui forsan dulcius esset
conterere in cura commodiore diem.
Jam potes e nostris fessus quoque versibus esse,
et brevius cuperes me, meliusque loqui.
Forsitan et chartam volvendo saepe tueris,
quod sis emensus, quod tibi restet iter.
Perfer et obdura : tu carmina nostra petebas,
scilicet illa putans plena sale et venere.
Ergo alacri vultu lege, nec mala dixeris esse,
illa sed auriculis finge placere tuis ;

utque potes, lauda, gemino ne angare dolore,
   versiculisque meis, judicioque tuo.
Quodsi digna tuis ferrem tibi praemia votis,
   et nisi, quam tibi tu, mitior ipse forem,
di magni, quam tu horribilem sacrumque libellum,
   carminis acciperes quanta venena mei !
Sed te, correctum leviter, dimittere certum est,
   ut minimo discas cautior esse malo.
Adscribam tantum quod, opinor, scire laboras,
   quae via sit vitae nunc ineunda mihi.
Me mea ad Herculeas invitant fata Columnas,
   languida qua Phoebi plaustra cadentis eunt.
Inde alias forte atque alias peragrabimus oras :
   hoc est humanae condicionis opus.
Et certe juvat hoc, ut cum me fata reposcent,
   cedere perspecto lenius orbe queam.
Multos longinquo fortuna beavit in orbe,
   in quorum numero me quoque forsan habet,
multos crudeli fato sine honore jacentes
   dira peregrina vix bene texit humo.
Quis scit an illorum numero quoque forsitan addat,
   nec sinat in patria me regione mori ?
Ut mea transcurrat contemnens ossa viator,
   ignotumque oculo nomen eunte legat,
et dicat : "Patria quis te mutare relicta
   ferventes alio sole coegit Afros ?"
Ante fores dominae melius tumulasset inertem
   pars superinjecti non onerosa soli.

## EPISTOLA XI. AD SIBRANDUM OCCONEM.

E1_11

Quem sibi de multis junxisse sodalibus unum
   antiqua voluit perpetuaque fide,
hanc tibi tam longe mittit, Sibrande, salutem
   Janus, et inquirit sedulus ecquid agas.
Num valeas, sortisque tuae sine nube sinistra
   haec tibi florentis tempora veris eant ?
Nam sine me, memini, mihi te narrare solebas
   ducturum maestos et sine sole dies,
qui nunc in vana me sollicitudine rides,
   et memor in laetis vix potes esse mei.
Inque sinu dominae lenta cervice recumbis,
   oreque de roseo mellea dicta legis,
qualia deposuit amoto verba marito
   pastoris Phrygii Tyndaris in gremium.
Aut tentas varias, domina ridente, choreas,
   aut studiis alacer dulcibus invigilans,
colligis a magno legum decreta magistro,
   unde tibi vitae fama sequentis eat.
Interea nostri tantum a te cura recessit,
   quantum de Ligeris flumine Scaldis abest.
Hoc ego vaticinor : sed si mihi diceret illud
   Cynthius, oraclo non foret ulla fides.
Non ego Dodonae dicenti talia credam,
   tu quoque si jures per sacra perque deos,

et probus et verax longo mihi cognitus usu
scilicet hoc uno nomine vanus eris.
Te mihi junxerunt nivei sine crimine mores,
simplicitasque sagax, ingenuusque pudor,
et bene nota fides, et candor frontis honestae,
et studia, a studiis non aliena meis.
Addidit his tacitos nutus, motusque benignos,
et nodo vinctum duxit utrumque pari
natura omnipotens, et si quod numen amicis
praesidet, et sanctas jungit amicitias
artibus occultis, Puerique volatilis instar
tela gerit pharetra forsan acuta gravi.
Credo equidem, venis hominum quoque spicula mergit,
ventilat accensas et deus iste faces.
At non ventosis huc illuc fertur ab alis,
explorat dubio nec pede caecus iter.
Providus arcana tangit praecordia flamma,
concordis vitae quam tenor unus alit.
Qua sine fraterni languescit nodus amoris,
nec bene natorum cum patre constat amor.
Quod nisi me fallo, quisquis fuit ille Deorum,
conjunxit nostras complicuitque manus,
cum primum patrio provectus ab orbe subisses
docta vetustorum moenia Bitturigum.
Tunc ego te vidi, tunc tecum pauca locuto
spes inconcussae venit amicitiae.
Tu quoque visus eras votis accedere nostris,
et sensu tacito jam bene velle mihi,
forsitan haud aliis pepigerunt foedera sacris,
ad quorum stupuit Cerberus ipse fidem,
cum, vivus vivum, Theseus, comitatus amicum,
tranavit Stygias et remeavit aquas.
Tempore livescit sublimi vitis in ulmo,
tempore florentes spica colorat agros,
tempore distincto signantur poma rubore,
flumina temporibus, tempore crescit amor.
Hei, cur nos nostri (quid enim jucundius esset ?)
Tempora convictus plura dedere Dei ?
Exemplum canis essemus uterque capillis
rarum servatae semper amicitiae.
Nunc via, nunc montes, et cum tot flumina silvis,
moenia divisos et numerosa tenent.
Dividat et tellus, et corpora dividat aequor,
at praesens animus hic tibi semper erit.
Ille vel immensi peragraverit invia ponti
et loca quae nullo sunt pede tacta prius.
Ille per obstantes muros, obstantia claustra,
ingreditur longum clam taciturnus iter,
Bitturigumque simul mediam delatus in urbem,
Sibrandum subito sistitur ante suum,
et tecum solitis fallit sermonibus horam.
Evocat in nostros te quoque saepe lares,
ac laribus vestris post tempora pauca reponit,
et tecum longas itque reditque vias.
Qualiter in somnis variis simulacra figuris
invisunt nostros et recreant animos.

Est sua praeteritis in rebus saepe voluptas,
tota nec aufugiunt quae placuere semel.
Arva, semel pinguis quae fluminis unda rigavit,
dona diu retinent aufugientis aquae.
Nos quoque, qui nuper tot cara reliquimus istic,
temporis exacti sensus et umbra juvat.
Ante meos oculos semper tua currit imago,
umbra levis corpus currit ut ante suum,
aureus a tergo fudit cum lumina Titan.
Fallor ? An et nostri te quoque cura subit ?
Et longe positi vultum revocatis amici ?
Et tibi rara mei non memor hora venit ?
Sive aliquid de me clausum sub pectore servas,
omnia nobiscum seu via longa tulit :
vive, et amicitias similes tibi collige nostrae,
quae minuant vitae taedia longa tuae.
Scilicet hoc miseris Deus unum dulce reliquit,
solamen cunctis et dedit esse malis,
semper habere aliquem cum quo conjungere possis
sive tuos lusus, seria sive tua.
Hoc cuicumque datum est, numquam sua fata gemendo
invidiam toti moverit ille polo.
Sed bene decursae gavisus tramite lucis,
laudabit grato carmine saepe Jovem,
qui dederit vitae primum cognoscere fructum,
quo sine me certe gaudia nulla juvant :
non mensae licet ipse suae me Jupiter addens
det Ganymedea pocula mixta manu.
Nunc quoniam imprimis scio te cognoscere velle,
et quid agam, et quorsum me mea fata vocent,
imus ad Occidui longinqua cubilia solis,
qua niger auriferas portat Iberus aquas.
Dii mihi jucundos illic reperire sodales
dent, mihi consimiles, nec sibi dissimiles,
sed similesque tibi, similesque sodalibus illis,
quos mihi praecipue Celtica servat humus.
Tunc mihi nec longaeque viae longique labores,
nec gravis infesto sidere Phoebus erit.
At tibi tranquillos annos fortuna paravit,
et dotata domi gaudia servat Hymen.
Ante tuos vives laetus conviva penates,
quidquid eris, memorem te juvet esse mei.
Et, seu laeta tuis venient, seu tristia fatis,
dicere : "Quam longe nunc mihi Janus abest !
Participem nostri sese daret ille doloris,
divideret mecum gaudia sorte pari."

## EPISTOLA XII. AD PETRUM CLERICUM.

E1_12
Musae, sidereo soboles jucunda parenti,
afflictis requies unica pectoribus,
roscida quae liquidis perstringitis antra susurris,
fida meas semper turba secuta vias,
usque fatigati devexa cubilia Phoebi,
quae Tagus irrorat divite flavus aqua.

Mecum quae toties sterili recubastis arena,
in desertorum montibus Arragonum,
non ad aquae curvo serpentes tramite rivos,
mollis ubi in patulos sternitur herba toros,
et tremula rami praetexunt desuper umbra
regna natatricum vitrea Naiadum ;
sed qua sicca gravi tellus exhausta calore,
assidue duros vertitur in lapides.
Ecquae de vobis alio discedere gestit ?
Arvaque ferre sacros per meliora pedes ?
Ad fortunatam Belgarum mitteris urbem,
qua nil splendidius spectat uterque polus.
Huc ades, et cinctae cursus imitata Dianae,
in nodum fusas coge Thalia comas.
Aeriisque viis pernici labere penna,
et pete Macliniae moenia clara meae,
deque tibi notis compella vatibus illum,
qui niveum fusca sub cute pectus habet,
pectus candidula pellucidius cristallo,
dignus fortuna candidiore frui.
Notior hoc non est, sed nec tibi gratior ullus :
insistis longae nunc, scio, prona viae.
Impatiensque morae vix jam mandata requiris,
quae tecum nostro nomine pauca feras,
vivere me dices ; nam quo vivamus in orbe
perdidicit propriis callidus ille malis ;
saepe mihi fastum gentis narrare protervae
suetus, et exsilii taedia multa sui.
Cuncta tamen nobis fratris praesentia cari
lenit, et unanimi foedere sancta fides,
ludimus, et lento perfundimus aspera risu ;
inque casa regum marmora despicimus.
Nec de mille malis quidquam me durius angit,
quam quod abest oculis tam procul ille meis,
cujus ego lusus, et cujus seria novi,
qui novit lusus, seria quique mea ;
carmine qui nomen celebris retinebit in illo,
quo cantata meae lumina sunt Dominae.
Hoc mihi purpureis dictatum blanda labellis
Cypria per populos et freta longa feret.
Fallor ? An hinc famae surgunt primordia nostrae ?
Parsque meae laudis magna feretur Amor ?
Omnia principiis insunt : Amaryllide lusa
Martia personuit Tityrus arma virum.
Illa igitur magnis Aeneae clara sub armis
vivit, regina nec minor est Tyria.
Nos quoque majus opus, sed non tam grande, canemus,
dulcis ut in tenebras corruat ille labor.
Juncta sed in parva vivent tria nomina charta,
quae legat ignota cuspide tactus amans,
concordesque gravi gemitu veneretur amores,
et mollem nostris manibus optet humum.
Annuit his Phoebusque pater, doctaeque Sorores,
Bacchus cornigerum movit et ipse caput.
Seu manet haec illum, seu sors diversa libellum,
multus at in nostro carmine Petrus erit.

Mollis in illius surgit mihi nomine versus,
crescit et in celeres pagina longa pedes.
Tunc dulces subeunt curae, tunc verna juventae
tempora, et in lacrimas nata puella meas,
vulnere cum mecum langueret maestus eodem,
eque suis gemeret cladibus, eque meis.
Eque meis gemerem flammis, flammisque sodalis,
moverat ex una quas face blandus Amor.
Unaque nutribat facies, qua saepe dolores
mentibus, heu, nostris, gaudia saepe tulit.
Sed quid praeteritae revocamus tempora vitae,
turbine quae rabido vertit iniqua dies ?
Praeteriti memores, quantum meminisse juvabit,
carpamus volucris dona diurna morae.
Hei mihi, dum repeto veteres ignarus amores,
fugit ab adspectu rapta Thalia meo,
imperfecta ferens tenues mandata per auras,
praecipitique petit regna beata pede.
Cetera cum charta tibi dextera nota loquetur,
Petre, sodalicii pars numerosa mei.
Materiam risus, nam sic jucunde mereris,
montibus in nostris carmina lusa damus,
in quibus omnigenos Regina Pecunia luxus
explicat, et nitidas emicat inter opes.
Qualis in adspectu Latii Cleopatra tyranni
sedit divitiis orbis amicta vagi.
Illam ego cum famulis, illam cum divite cultu,
permitto manibus, Petre jocose, tuis.
Jusque tibi trado, quod in hanc mihi competit, omne,
et dominum magnae te facio Dominae.
Felix augurium, magnarum accessio rerum
jam tibi nimirum, nec mora longa, venit.
Omina non fallunt : certe non omina Vatum.
Illa suis Vatum suggerit ipse pater.

## EPISTOLA XIII. AD AUGUSTINUM SARATUM HISPANUM.

E1_13
Multa quidem noster de te narravit amicus,
deque tuis Musis, deque tuo genio,
quam tamen adjecit magnae post omnia laudi,
vix bene credendis laus dedit una fidem.
Dixit : "Amat, Puerumque colit cum Matre volucrem,
et versu teneram nobilitat dominam ;
jamque nec argutae cedit Theresilla Corinnae,
Cynthia nec Coa tam placet in tunica."
Quod simul ac dixit, subito mihi mentem animumque
in desiderium vidit abire tui.
Cur ita ? Quod credam nullum sine Amore magistro
victuros lepida voce sonare modos.
Sis felix in amore tuo, cultissime vates,
et vati facilis sis, Theresilla, tuo.
Delia sic, Nemesisque, tuae non invida famae,
et vocet ad socias Lesbia te choreas.

# JOANNIS NICOLAII SECUNDI EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

## EPISTOLA 1. AD AEGIDIUM BUSLIDIUM.

E2_01

Quae tibi pro misso gratus Xenophonte rependam
munera, Buslidiae celeberrima gloria gentis ?
Mittemus pateras, gemmas mittemus, et aurum,
fortunatorum felicia dona virorum ?
Haec mihi dura negat vultu Rhamnusia torvo ;
haec eadem, vir magne, tibi permulta supersunt.
Quidnam igitur dabimus ? Fortassis carmina duro
inconcinna sono stridenti reddere voce
possumus, et pretium donatis dicere rebus.
Ergo, quot Oceano latitant sub gurgite pisces,
quot volucres agitant celeres per nubila pennas,
quot nutrit vaga terra feras, quot sidera caelo
cernuntur nitidam circum rutilantia lunam,
ver blandum auricomis flores quot gignit in hortis,
quot profert aestas cereales torrida spicas,
quot modo produxit tumidos in vite racemos
Autumnus genitor, quot dulcia poma, quot idem
decussit flavas ventosus ab arbore frondes,
quot modo fundet hiems niveos cum grandine floccos ;
tot tibi sint, pluresque dato pro munere grates.
O tibi quanta fuit, quanta est quoque cura fovendis
Musarum adsidue studiis sacraeque Minervae !
Nec satis esse putas factum memorabile fratris,
illius aeterna noti super aethera fama,
pridem Pierides vitreis Heliconis ab undis
ad patrios qui duxit agros, posuitque superbo
marmore laurigeris habitacula splendida Musis,
Lovanii decus, et terrae ornamenta Brabantae.
Quae nunc cum populis merito certare Latinis
audet, et ingeniis felix contendere Graiis,
et sancta Hebraeum mysteria pandere vatum.
Ergo prius virides spoliabit frondibus alnos
ver tepidum, glaciemque dabit, gelidasque pruinas,
floribus et pro purpureis, herbaque virenti
obteget incultas nivibusque et grandine terras,
bruma rigens reddet nudatis gramina campis,
floribus ornabit terram, messemque videbit,
Luna subire volet fraternos ante labores,
germanaeque suae nocturnum scandere currum
Phoebus, et ignotum cupiet volitare per orbem,
agricola infido mandabit semina ponto,
et flavam mediis segetem resecabit in undis,
Buslidiae gentis quam ter veneranda peribunt

nomina et eximii morietur fama laboris.
Hoc facient sacri, Phoebeia turba, poetae,
cura viros quibus est victuro carmine claros
tollere de nigris tenebrosi faucibus Orci,
et vitam post fata novam praestare sepultis.
Nos humili interea canimus juvenilia Musa
carmina, quae teneros licuit lusisse per annos,
quos mihi jam primum fatalia numina Parcae
ante dies paucos tres ad tria lustra dederunt.
Forte etiam, pia si faveat modo turba Sororum,
et Deus integri spatium concesserit aevi,
majori meliora tuba et graviora canemus,
atque erimus vestrae non ultima buccina laudis.
Tunc inter nostri mihi tu, vir maxime, saecli
proximus a primo numerabere, Maecenates.
Interea placido, quae nunc damus, accipe vultu,
nosque tuos inter, quod jam fecisse videmus,
sede vel extrema pergas numerare clientes.

## EPISTOLA II. AD ANDREAM BAVERIUM.

E2_02

Ille ego, qui tenues versus, et inutile carmen
hactenus ingratis nimium (nam vera fatebor)
addictus cecini Musis, florentia longum
devius in steriles consumens tempora curas,
jam demum scriptisque tuis, veroque potenti
admonitus, pluteo cunctos ex ordine vates
dejeci, Flaccumque gravem, magnumque Maronem,
et quem grandiloquum produxit Corduba vatem,
quique canit varias aliena in corpora formas
mutatas, tenerumque docet praeceptor Amorem ;
mox oratores vatum cum paupere turba
ablatos medio tenebrosa in parte locavi,
in quorum subiere locum Baldique Cynique,
atque alii, quorum tot barbara nomina Musam
enarrare piget Latiam ; quae cuncta ubi nobis
visa peracta satis, sed jam quoque convenit, inquam,
quam pergam extremum caris valedicere Musis,
carmina pauca prius monitori reddere vati.
Ac veluti, tumidas quondam exturbandus in undas,
dilectam citharam tetigit Lesbous Arion ;
sic ego, praeruptum jam descensurus in aequor,
ultima decreram faustae dare carmina chartae,
suasoris quibus ingenium laudare poetae
mens erat, et verbis super aethera tollere dignis,
jamque mihi longo ter Calliopea vocata
murmure constiterat formoso splendida vultu,
vocalem manibus citharam praetendere visa.
At simul ingentes vidit longo ordine libros,
sarcina qui valido possint gravis esse elephanto,
proque Marone suo reperit ignotaque verba,
ignotasque notas, et barbara nomina mille,
obstupuit, calamumque meum frustrata recessit.
Ergo tuis si digna minus damus, optime vates,
tecum age, qui tanto miserum in discrimine ponis.

## EPISTOLA III. AD JOANNEM SCORELLIUM,

E2_03 Pictorum sublimis honos, columenque virorum
artificum, rudibusque novum decus edite terris,
qui procul ad patrios orbis monumenta Latini
fers agros, Rhenique locas ad flumina Romam,
accipe Maclinia missas tot ab urbe salutes,
quot nosti varios tabulae dare rite colores,
quot didicisti hominum diversas ponere formas,
pingere quot verna solitus super arbore frondes.
Has tibi dat, Batavis tecum prognatus in agris,
qui discedenti nuper tibi pauca Secundus
carmina concinuit, devotae pignora mentis ;
exspectatque diem, qua tecum cernere clari
moenia Trajecti, turritaque templa Deorum
possit, et ingentem Caesar quam Carolus arcem
tutandis posuit populis, Pacique dicavit.
O felicem illum, si te monstrante videbit
divitias gazasque tuas, et quidquid in omni
vel latet Ausonia, vel daedala Graecia vidit.
Fingimus haec nobis, sed quidnam fingere prodest
irrita velivolas vento jactanda per undas ?
Usque adeo Batavis studiose finibus arcet
invida me fati series, et iniqua tyrannis
Fortunae, quae diva potens mortalia versat.
Sed veniet, veniet tempus, licet improba pugnet
laeta hominum Fortuna malis, quod jungere dextras,
quod notas audire dabit, quod reddere voces,
si quid vota valent, nec nos tua litera fallit,
cum te Maclinia jam jam spectabimus urbe.
Interea celeri Phoebus secet aera curru,
noctivagosque boves stimulis vaga Luna fatiget.

## EPISTOLA IV. AD CAROLUM SUCQUETUM.

E2_04 Carole, quem nondum risum cogebar amare,
concordes venerans laudes ex orbe remoto,
quas tibi certatim coetus cumulabat eorum,
qui mediocre nihil, tantum sublimia norunt
tollere, non dociles quae sunt laudanda silere.
Heu, quae longinquas advenit fama per oras,
fama nigrescentum plumarum tegmine pulla,
funereasque faces atramque ferens cupressum,
ora gerens centum lugubre sonantia carmen,
absorptum fatis, et proh dolor, exhalata
Albinas Sucquetum anima solvisse pruinas ;
ac juvenile illud, dignum melioribus annis,
Tellure in gelida tabescere corpus, at umbram
pallidulas ivisse vias, ubi creditus olim
portitor incanus cariosam volvere cymbam.
Haec tota miserum funestae nuntia cladis
mente procelloso sic turbine dejecerunt,
ut vix crediderim simili jacuisse dolore

confusam Procnen, ficta cum in morte sororis
sumere barbarico jussa est lugubria regi.
Quid facerem, dulci jam bis privatus amico ?
Ante quidem rapto, sed sic ut reddere posset
si qua dies votis nostris non lenta faveret ;
nunc procul in longis jusso dormire tenebris,
unde negant oculos vigiles attollere quemquam.
Quid quererer ? Tecum mens contumulata jacebat ;
et sine sole dies ibant, sine sidere noctes.
Ah, quoties haerens in tristi carmine lingua
destituit dominum, conantem talia fari ?
Tene ergo raptum a patria caraque parente,
infelix juvenis, primaevo in veris honore,
fata peregrino volverunt pulvere claudi ?
Tamque cito potuit mors illacrimabilis unca
falce tuos annos, et spes resecare tuorum ?
Hoc, hoc illud erat, quod cum te eduximus urbe,
qua sinuosa meant opulenti flumina Deli,
et procul incipiunt Scaldis sentiscere nomen,
migrantemque sumus loca per concessa secuti,
sic alacer, sic laetus eras, teque ire videri
ad connubia dicebas, laetosque hymenaeos ;
et fortasse tuae metuebas omina mentis.
Heu, nunc illa jacet legum numerosa sacrarum
cognitio, mensque illa novem devota deabus,
et choreae, et cantus, et quidquid amabile vitae est,
in tabum tellure nigra depressa recumbunt !
Et quorsum nunc cura ? Laborque vigil ? Totiesque
lux gravis ? Et toties nox defraudata sopore ?
Scilicet ut dicat multis e millibus unus :
Ah, curas, Sucquete, tuas, longosque labores
abstulit hora nocens, et iniqua mersit arena.
Nempe nihil Divae potuerunt addere lucis,
qua fundunt liquido resides in vertice cantus ;
fila severa cohors abrupit, terque tribus tres
praevaluere Deae. Nunc i, cole sacra Sororum,
sacra colens, quicumque cupis per inertia stagna
ad sedes avidas et regna tenacia mitti.
Heu, fera saevities, et lex non aequa deorum !
Phoebus ad occasum flammas molitur ab ortu,
idem florentis juvenili veris ab aevo
per rabidos aestus et pomiferos autumnos
provolat ad senium glaciale volubilis anni.
Cum semel occoepit arcu pallescere dextro,
laeva senescenti debentur cornua Lunae.
At nobis miseris incerta stat orbita vitae,
et quoties juvenile decus properata senectus
occupat, et medio flores languescere vere
cogit odoratos, opulentaque vota caducis
vellit ab arboribus, truncosque relinquit inanes,
arentes truncos, et edaci pabula flammae.
Talia volventem, et tantum non talia fantem
vidit, et ora quater mutavit menstrua Phoebe ;
solque unum caeli spatium complerat, et ignis
Aegocerontaei gelidum peragraverat orbem,
cum tandem Ausoniis quidam delatus ab oris

me mihi restituit, lacrimosaque nuntia damnans,
sese oculis vidisse suis tua lumina dixit,
et tetigisse manus, vocemque hausisse, nec ulla
narravit venisse tuis incommoda fatis.
Haud aliter stupui quam cum conspexit Orestem
viventem germana, cui funebria dudum
solverat, et tristes defleverat ossa per aras.
Tunc mihi visus eras gelidis redivivus ab umbris
illicitas remeasse vias innabilis undae ;
et tali jam nolebam caruisse dolore.
Vive tuos annos, et sint tibi mollia fata ;
inque tuam patriam tibi det fortuna reverti,
stipatum Musis et tertis exsule Diva.
Plectit odoratas tibi Flandria laeta corollas,
terra parens, cinctura comam redeuntis alumni.

## EPISTOLA. V. AD MARCUM ANTONIUM CAIMUM, MEDIOLANENSEM.

E2_05

Tu licet aeternae media virtutis in arce,
urbem qua posuit Biturix in pinguibus arvis,
dulcibus insudes studiis, labrisque diserti
Alciati excipias semper manantia mella,
quae te felicis tinctum medicamine roris
omnia carpenti prohibebunt cedere fato,
et fama ingenti magnum super aethera tollent,
non tamen haec nostris possunt contendere, Marce,
deliciis, quas rura oculis gemmantia fundunt,
deliciis, quas ori infundit myrrheus aer,
et picturatae mittunt per inania silvae
auribus e volucrum modulamine matutino.
Cedere fumosis ignorant prata caminis,
et flavae segetes, et opes ter mille colorum,
fluminaque obliquas inter crepitantia ripas,
nec, casa quod parva est atque obsita marmore nullo,
obsita viminibus, nec quod laquearia centum
non praebent totidem suspensos vespere lychnos,
non juvat hoc etiam : liquidas admittimus auras
sic melius, minimumque loci est sine mollibus herbis
nec tamen hic desit, rabidi quo sideris aestum
ventorumque minas satis excludamus et imbres,
aut ubi securos nocturna silentia ponant,
aut libris studiisque diurna negotia dedant,
aut ubi mensa suo spumet genialis Iaccho.
Ante oculos arx est, quae colli imposta virenti
despicit et silvas, et prata jacentia longe,
et longe positas spatiis distantibus urbes.
Ipse locus silva est, neque desunt numina silvae :
saepe illic nymphas, arbusta per arta vagantes,
auritosque Deos stupidi videre coloni.
Praesidet his late regnis venerabilis aevo,
conjuge cum sera natisque virentibus, heros.
Eloquar, an sileam ? Natam quoque nutrit in arce
formosam, teneram, sed non potes omnia scire ;
incomitata solet silvis haec saepe vagari,
vix inter comites bene dignoscenda Dianae.

Nunc vallo conclusa latet : quae causa latendi
finitimi dubitant ; sed sunt qui dicere tentent,
advenisse novam Fauni de gente cohortem,
qui rapiunt quascumque vident per rura vagantes,
in saltusque vagos tractas, et in invia silvae,
luctantes terebrant villosi pondere nervi.
Hoc quoque quis credat ? Venandi discimus artes,
atque ubi luce dies coepit pallescere prima,
et thalamos egressa viri Tithonia cani,
ambiguo summas adspergit lumine villas,
rorantes per agros, canibus comitantibus, itur.
Qui, postquam latos cinxere indagine colles,
incauto lepori, dum se movet, adsilientes
plurima conanti decerpunt undique vitam.
Ilicet irruimus, praedamque e dente tenaci
vellimus, at fera turba canum latrantia frustra
ora movet, raptoque oculos in corpore figit,
miraturque suos alio transire labores.
Ah, quoties, noto tutoque cuniculus antro
digressus longe et genti deprensus odorae,
passibus haud aequis fugit impendentia rostra
lassus, et exiguae spoliatur munera vitae !
Saepe manu valida lunamus flexile cornu,
aetheria et tenui terebramus nubila ligno ;
saepe anima dulci spoliamus in aere corvum ;
saepe per umbrosos saltus et devia silvae
turbamus cervae alipedis vestigia ferro.
Perdici quoque pernicies funesta paratur,
si quando segetes arbustaque tuta relinquit,
fatalesque petit campos stridentibus alis :
quippe ubi labentem tellus male fida recepit
corpore languidulo, fessumque labore volandi,
hostili subito circum discrimine saeptus
multa tremit tacitus dentataque fata moratur,
infaustamque animam latrante sub agmine ponit.
Nil artes illi, nec avita sagacia prodest,
aut genus a puero deductum nobile, primus
qui serram dedit, et bifido (mirabile) ferro
circum in se duxit speciem revolubilis orbis,
quo terraeque fretumque et magni machina caeli
signatur, discuntque viri sua volvere fata,
ingentemque Jovem tenui suspendere charta.
Haec et plura, velim quae te cognoscere coram,
ab desiderio revocant urbisque sacratae,
mellitoque sodalicio, pars maxima cujus,
Marce, mihi (laetor sic te voluisse) manebis,
quo te cumque ferent pennis felicibus aurae,
quo me cumque vehet dubiis Rhamnusia plumis.

## AD DIDACUM MENDOZAM, POETAM HISPANUM.

E2_06

Didace, quid frustra vatem, levioribus olim
assuetum numeris, urges ad grandia verba ?
Carminaque integris solide constantia membris ?
Qualia, cum magni caneret primordia mundi,

floridus insonuit grandi Lucretius ore ?
Magnos magna decent : rivos ego parvaque quaero
flumina, nec ventos, sed lenem persequor auram.
Turbatos alii fluctus maris, et salientis
Neptuni fremitus, et Tethyos undosai
fluctifragis spectent de verticibus scopulorum.
An me non potius myrti juvet umbra venustae,
quae gracilem vernis Zephyris impulsa, coronam
commiserata, meos mecum suspiret amores ?
Quam silva in magna pugnantes cernere quercus,
turbinibus ventorum in mutua vulnera pulsas ?
Qua pineta gravi resonant concussa fragore ?
Cumque imis orni radicibus exturbantur ?
Nec tenues cantus datur exaudire volucrum ?
Tu, quem per majora vehit fastigia rerum
spiritus, ingenti laudis perculsus amore,
et cujus genus heroum de sanguine ductum
ignorat carmenque leve et Musam popularem,
erige te, pete sidera non ignotus avita,
nec cursum aerio Parnassi in vertice sistas :
Mendozamque domum praeclaram Marte togaque,
qua nil nobilius circumspicit occiduus sol,
extremis notam populis aevoque futuro,
effice divinis numeris, linguaque diserta.
Namque potes, nec te frustra olim gurgite flavo
excepit Tibris, sacris et perluit undis,
insignem cithara juvenem, rursusque poetam
Hispanae gentis mirata est maxima Roma :
nec frustra ad sacras cecinit tibi carmina cunas
Calliopea soror, magnum decus heroinis
Hesperiis ; felix, si numquam fortibus ausis
cum tenero crudum junxisset Apolline Martem,
nos sine ferre gradum tua per vestigia lente.
Saepius atque alio incertos deflectere gressus,
atque iterum remeare, iterumque iterumque relabi ;
nec tibi displiceat nostrae temulentia mentis,
infirmique gradus. Si magnum quisque Maronem
aequasset, numquam didicisset Delia cautos
fallere custodes, et mensas pingere vino,
nec nosset succos collo quis livor abiret.
Cynthia non clausos dilecti vatis ocellos
docta reclusisset tremebundo molliter ore,
nec Veneris puer indomitus Nasone magistro
maternam cultis jam moribus ingrederetur
per Romam, patriae jam non memor amplius Aetnae.
Denique si paribus certarent nixibus omnes,
quot rapiunt volucres Elaeo in pulvere currus,
quis ferret primum palmae viridantis honorem ?

------------------